

illa res ut nociva mihi, nisi sit voluta illa pœna, hæc autem est volitum materiale; ergo non separatur volitum materiale a formali.

XXXVII. Respondetur negando consequentiam. Ad primam probationem dicitur, quod motivum universale divinæ voluntatis dicitur universale in causando, et attingendo omnia, sed speciale in essendo, et in modo causandi, ipse enim modus infinitus, et tantæ universalitatis est, est specialissimus, et distinctus a reliquis modis particularibus, quibus creaturæ causant distincto modo a Deo, licet sub illo. Unde bene quod illi universali modo, quatenus in se ita infinitus, et universalis, et perfectus est teneamur conformari, quia est summa iustitia, et perfectissima regula, et tamen particularibus modis operandi creaturarum etiamsi supponantur esse volita a Deo non teneat conformari, quia ad me non pertinent, nec Deus de illis mihi præcepit, aut quia mihi sunt contraria, quia hoc ipsum Deus vult sua illa universali ratione, quod particularibus illis volitis non teneat conformari. Unde potius ex universalitate divina deducitur, quod non teneat volito materiali conformari (excepto præcepto) quia tanta est universalitas illa dispositionis, et ordinis divini, quod etiam completitur motivum meæ voluntatis, et vult me non teneri, sed posse illud particulare volitum non amare ut particulare, licet passive sit volitum a Deo.

XXXVIII. Ad secundam probationem dicitur. Primo, non repugnare quod voluntas aliquid in abstracto consideret, et sic velit illud sub illa inadæquata, et abstracta consideratione, quia potest voluntas velle aliquid in universali, et in abstracto, et sic conformari volito formali Dei, ut in abstracto: secundo, addo

quod etiam si velit illud in concreto et prout applicatur alicui materiæ, cum Deus ex sua illa ratione formali non solum velit illud quod efficaciter vult fieri, sed etiam velit quod ego possim illi contrariari, ut particularis res est illudque abjicere, vel repugnare quantum est ex me, aut quod non obliget illud velle, si non ponat præceptum etiam sic contrariando et nolendo, conformor volito formali divino, sub quo etiam hæc nolitio continetur. Et sic non frustra illi volito formali conformatur quia etiam in aliquo particulari ei subordinatur. Et ad ultimum dicitur Deum velle mala pœnæ ut mala nobis non ex odio, et displicentia personæ, sed ex ordine iustitiæ; et hunc ordinem iustitiæ tenetur homo amare ut volitum formale, illam vera pœnam potest detestari, ut malam personæ propriæ, quam diligit, ex hoc est volitum materiale in illa pœna.

QUOMODO SIT CONFORMITAS AD VOLUNTATEM DEI, UT EFFECTIVAM.

XXXIX. Conformari voluntati divinæ in genere causæ efficientis est velle voluntatem nostram id quod Deus vult, seu facit nos velle, ut docet D. Thomas quæst. xix, art. x. Et in hoc unum est certum, scilicet quod voluntas nostra de facto semper conformatur voluntati divinæ efficienti, quia voluntati Dei efficaciter moventi, voluntas nostra non resistit: nec potest voluntas se subtrahere ab universalissima operatione et influentia Dei, et aliud operari in quod ipse Deus non operetur. Difficultas autem est, an jure et ex debito teneatur nostra voluntas Deo sic efficienti, et operanti conformari, ita ut teneatur velle illud quod effective Deus facit, et in-

fluit in illum. Et respondetur non teneri, nisi imponatur præceptum, quia remoto præcepto, liberum est voluntati cessare ab actu, quem de facto elicit; ergo potest talis elicientia actus, et exercitium sibi displicere, ergo non tenetur velle illud, etiam ex suppositione, quod Deus effective influat, et concurrat ad talem actum; alias quotiescumque ego aliquid operor, aut volo de facto, non possum licite cessare, quia Deus effective operatur in voluntatem meam. Sed inquires: An saltem, quamdiu durat illa elicientia actus, et influentia Dei efectiva in illum, teneat illum velle. Respondetur, quod remoto præcepto, non teneor, quia pro quocumque instanti, et tempore, quod actum elicio possum non elicere, et cessare; ergo remoto præcepto non teneor ex vi talis efficientiæ, seu elicientiæ actus, et influentia Dei efectiva in illum, velle illum. Itaque efficientia Dei, ut præcise est efficientia solum dat conformationem in ipsa operatione de facto, quia consequitur ex tali efficientia me de facto operari, non tamen ex illa efficientia sequitur obligatio, quia hæc non sequitur efficientiam, sed præceptum, seu mandatum.

XL. Quod si dicas: Nam D. Thomas quæst. xxiii de veritate, art. viii ad tertium, ponit differentiam inter voluntatem prælati, et Dei, et dicit: « Quod voluntati prælati non tenemur conformari, nisi adsit præceptum: voluntati vero divinæ tenemur etiamsi præcepto non manifestetur: » ergo ista obligatio conformationis non est regulanda per præceptum, sed per simplicem voluntatem, respondetur loqui D. Thomam de voluntate divina pro volito formali, quia dicit voluntatem prælati non esse regulam nostræ voluntatis, sicut est voluntas divina, sed præceptum ejus. Con-

stat autem voluntatem divinam esse regulam non ratione voliti materialis, sed ratione voliti formalis, quia formalis ratio volendi in Deo est ipsa justissima rerum omnium dispositio, cui semper tenemur conformari. Ratio autem formalis, qua movetur prælatus est particularis quædam ratio, et dispositio, cui non semper teneor conformari, nisi præceptum imponat, quod est justum, alias vim præcepti, et legis non haberet.

ARTICULUS V.

*Utrum in actu exteriori formaliter, prius sit bonitas, et malitia quam in actu interiori?*

I. Supponendum est, quod nomine bonitatis, aut malitiæ formalis intelligimus illam prout distinguitur a fundamentali, vel potenciali, aut objectiva, sicut enim scientia formalis convenit actui intellectus, quia solum hic formaliter intelligit, objective autem, et fundamentaliter convenit rei scibili, ita malitia et bonitas formaliter convenit actui a nobis elicitio, quia solum actus formaliter est liber, et consequenter moralis, seu regulabilis a ratione, objectum autem non est formaliter liberum, et morale, sed objective et fundamentaliter, sicut objectum est scibile, non scientia. Rursus actus qui elicitur, et formaliter ad objectum tendit, si sit actus externus non habet de se libertatem actu, et formaliter, sed solum potentialiter, quia potest a libero actu imperari. Unde si actus exterior sit objectum interioris, ut quando aliquis vult exteriorem operationem ut ambulare, scribere, furari, occidere, orare, etc. talis actus ut objectum est interioris volitionis dat

interiori actui objective, et fundamentaliter malitiam, seu bonitatem, quia vere est objectum ejus, et sic in linea, et genere objective præbet illam. Et iterum ipse actus exterior potest considerari, ut actio tendens, et operans circa materiam suam externam, quæ materia etiam est objectum bonum, vel malum, sicut operari circa pecuniam alienam ad surripiendum, vel circa uxorem alienam ad fruendum est malum, et operari circa propriam uxorem est bonum, et similiter circa propriam pecuniam ad dandum egenti. Itaque una verbo bonitas, et malitia formalis debet inveniri in actu, et non solum in objecto, et in ipso actu non potentialiter tantum, sed actu, et formaliter, quia debet esse actu liber. Ex hoc dependet altera pars difficultatis, nempe ubi sit per prius ista bonitas, et malitia, an in actu interiori, vel exteriori, potest enim esse difficultas, ubi fit prius quantum ad exercitium, et executionem, vel ubi sit prius quantum ad specificationem, et similiter ubi sit prius bonitas, et malitia, sive propria ipsius actus, id est, immediate a suo objecto accepta, sive participata a fine, mediante priori actu intentionis.

VARIE SENTENTIÆ.

II. Varie in hac parte sentiunt auctores. Nam quidam existimant bonitatem moralem formaliter, et intrinsece esse in actu exteriori, at vero in interiori solum extrinsece, et tamquam in causa, sicut sanum est formaliter in animali, denominative autem in medicina, et tamen medicina est causa sanitatis animalis, sic actus interior est causa exterioris quoad bonitatem, et malitiam, quæ formaliter est in actu exteriori, denominative autem in

interiori, eo quod actus exterior primo, et per se præcipitur, vel prohibetur. Ita quidam universaliter attribuunt Cajetano in hac quæstione xx, art. II. Sed Cajetanus non sic loquitur universaliter de omni bonitate, et malitia in actu exteriori reperta, sed distinguit de bonitate, vel malitia ex fine, et ex objecto, et dicit quod bonitas ex fine formaliter convenit actui interiori, quia finis est objectum ejus, bonitas autem ex objecto, et circumstantiis formaliter convenit actui exteriori; denominative autem actui interiori, per eum tamen tamquam per causam derivatur in actum exteriorem, quia exterior actus est effectus interioris: sicut medicina dicitur sana denominative a sanitate animalis, et tamen per medicinam causatur ipsa sanitas, quæ formaliter est in animali. Quare nusquam negavit Cajetanus in actu interiori reperiri aliquam bonitatem, vel malitiam formaliter, scilicet eam quæ est ex fine quatenus objectum ejus est, quod male ei isti auctores imponunt.

III. Secunda sententia per aliud extremum docet universaliter bonitatem, vel malitiam solum esse formaliter et intrinsece in actibus interioribus, extrinsece autem et denominative in exterioribus. Hæc sententia tribuitur S. Bonaventuræ, Durando, Richardo, Gabrieli super distinctionem XLII, in secundo sententiarum, imo et Scoto ibidem quæst. II, §. Ad quæstiones istas, quia dicit in solo velle esse peccatum primo, et in aliis non nisi mediante velle. Et addit, quod in cogitatione, sermone, et opere non est peccatum formaliter primo, sed hoc est in solo actu voluntatis. Qui tamen Scotistæ communiter oppositum sentiunt propter expressam sententiam Scoti in quodlibeto XVIII, art. III, docentis etiam in actu exte-

riori formaliter esse bonitatem, et malitiam, ideo.

IV. Tertia sententia sit Scotistarum distinguendum in actu bono, vel malo rationem bonitatis, vel malitiæ, ut imputabilis ad laudem aut vituperium, sicque vocant actum illum moralem, et rationem bonitatis, vel malitiæ prout solum dicit ordinem ad rationem, seu ad naturam rationalem. Et hæc duo distinguunt, quia in actu bono, vel malo, et invenitur libertas ratione cujus actus imputabilis est, et dignus laude, vel vituperio, et invenitur ordo ad rationem in quantum est conformis, vel difformis ipsi. Dicunt ergo quod actus, ut imputabilis, seu moralis solum intrinsece, et formaliter invenitur in actu voluntatis, participative autem, et materialiter in actibus exterioribus, quia solum participative habent rationem libertatis. At vero ordinem ad rationem per conformitatem, vel difformitatem habent actus externi etiam formaliter et intrinsece, licet libertatem habeant participative, quia ratio per se habet regulare et judicare de illis, verbi gratia de furto, de homicidio, de eleemosyna, etc. et sic talia intrinsece, et formaliter habent bonitatem, vel malitiam, quia habent conformitatem, vel difformitatem ad regulam rationis, licet participative, et denominative tantum, seu extrinsece habeant libertatem, et moralitatem. Pro ista sententia, quæ etiam est explicatio Scoti (ne sibi videatur contrarius) citantur plures Scotistæ, Lychetus, Tartaretus, Bassolis, Rubion, Rada, Herrera, Faber, Pilosus, et alii apud Felicem tract. III de bonitate et malitia, cap. VII, difficult. I, numer. IX.

V. Quarta sententia est Vazquez hic disp. LXXIII, cap. V, VI et VII. Qui persistens in sua sententia sæpius in superioribus repetita, quod actus ut sit bonus moraliter non sufficit

quod sit circa bonum, sed propter ipsum bonum per se et directe, distinguit in actu exteriori bonitatem et malitiam, et dicit, quod actus exterior potest habere formaliter malitiam, non tamen bonitatem, sed hæc solum reperiri potest in actu interiori, et proprio voluntatis, quia solus actus voluntatis potest ferri in bonum propter se, licet actus exterior possit versari circa bonum objectum, sed hoc non sufficit ad bonitatem moralem. Malum autem hoc non requirit, quia malum ex quocumque defectu, nec est necessarium, quod ut sit malum sit factum ex intentione. Excipit tamen Vazquez ea peccata, quæ directum, aut expressum voluntarium exposcunt, ut specialia peccata sint, sicut speciale peccatum scandali, inobedienciæ, et similia, quia talia formaliter solum inveniuntur in voluntario expresso, et quasi reflexo, quod solum in interiori invenitur.

RESOLUTIO EX D. THOMA.

VI. Sententia D. Thomæ tribus conclusionibus continetur. Prima est, in omni actu voluntario tam interiori, quam exteriori, id est, tam immediate elicito a voluntate, quam imperato ab illa formaliter, et actualiter invenitur bonitas vel malitia moralis, licet non in omnibus exterioribus actibus æque intrinsece reperiat hoc voluntarium, et hæc moralitas. Itaque quando D. Thomas loquitur de actu interiori, et exteriori, loquitur de actu elicito, et imperato, ut supra quæstione VI, art. IV explicavit, et in hac quæstione XX, art. II ad tertium, et consequenter supponit in utroque actu reperiri voluntarium, id est, hoc quod est procedere, seu esse a voluntate, et si voluntas libere opere-

tur, procedet uterque actus a voluntate libera, et erit liber: nam si elicitur a voluntate, clare constat quod est immediate ab illa, si vero imperatur est ab illa mediate, et sic semper est voluntarium. Et ita aliud est apud D. Thomam loqui de actu externo, præcise ut externum, id est, ab externa potentia elicatum, quod entitative, et in se non dicit rationem voluntarii, et liberi; aliud est loqui de actu exteriori prout voluntario, hoc est imperato, quod id ipsa ratione imperati involvit hoc quod est procedere a voluntate, et voluntarium esse.

VII. Secunda conclusio: Supposita ratione voluntarii, et liberi in utroque actu tamquam conditione generaliter requisita ad moralitatem, tam bonitas, quam malitia moralis invenitur in utroque actu interiori, et exteriori hausta, et accepta ab objecto ratione regulato, in interiori a fine qui est objectum illius, in exteriori ab objecto proximo, et circumstantiis, quæ bonitatis, et malitiæ de uno actu ad alium participative, et denominative derivantur, et communicantur, id est, tamquam circumstantiæ, quia id quod est proprium unius actus est circumstantia alterius. Itaque in actibus, et est voluntarium, et est volitum. Voluntarium est per habitudinem ad subjectum quatenus procedunt, et sunt a voluntate: volitum est ipsum objectum per ordinem, et respectum ad quod hauriunt bonitatem, vel malitiam.

VIII. Tertia conclusio: Bonitas et malitia ex fine per prius invenitur in actu interiori formaliter, ut in actu specificato a fine, participative autem in actu exteriori, ut in exequente, et moto ab interiori actu, et sic per modum circumstantiæ participat actus exterior bonitatem finis. Bonitas autem et malitia ex objecto proximo, et aliis circumstan-

tiis præter finem per prius invenitur in actu exteriori, seu imperato tamquam in specificato ab illo objecto, et illa quæ est ex fine, tota dependet a voluntate, id est, ab actu interiori, qui dicitur voluntas sumendo voluntatem non pro ipsa potentia, sed pro primo actu voluntatis, qui est circa finem, et inde derivatur in actum imperatum, cui tamen immediate, et per se convenit illa, quæ ex objecto proprio sibi convenit. Hæc autem quæ est ex objecto proprio in actu exteriori etiam participative, et per modum circumstantiæ potest convenire actui interiori ut effectus ejus, quæ est circumstantia quid. Quod si actus exterior sit finis, et objectum actus interioris, in quantum objectum specificat ipsum, et in quantum effectus, et motus ab ipso sequitur eum, et circumstat illum, ut circumstantia quid, seu effectus.

IX. Fundamentum, et probatio primæ conclusionis quoad primam ejus partem, scilicet quod tam bonitas, quam malitia moralis formaliter, et actualiter sint tam in actu interiori, quam exteriori voluntario, sumitur ex D. Thoma in hac quæstione xx, art. ii ad tertium, ubi inquit: « Quod voluntarium dicitur non solum actus voluntatis, sed etiam actus exteriores prout a voluntate procedunt, et ratione; et ideo circa utrosque potest esse differentia boni, et mali. » Ubi in primis clare constat id quod diximus, quod cum S. Thomas loquitur de actu exteriori, loquitur de ipso ut voluntario, id est, ut procedente a voluntate. Secundo, quod loquitur de bonitate, et malitia formali, et actuali, quia loquitur de bonitate, et malitia, quæ est differentia actus moralis, et voluntarii, ut constat ex ipso argumento tertio, quod ibi solvit: bonitas autem, et malitia moralis, quæ est differentia actus non est bonitas po-

tentialis, seu in potentia, quia potentia ad moralitatem habetur in entitate actus qui est capax moralitatis; neque bonitas objectiva, quia loquitur de bonitate actus, non objecti; ergo est bonitas formalis. Tertio, quod non loquitur de sola malitia, sed etiam de bonitate quam indifferenter docet esse differentiam actus interioris, et exterioris, et sic expungit sententiam Vazquez, qui solum concedit actui exteriori malitiam formaliter, non bonitatem. Idem sumitur ex ipso D. Thoma infra quæst. LXXIV, art. ii, ubi docet non solum voluntatem, sed etiam omnes alias potentias, quæ possunt moveri, vel reprimi ad suos actus per voluntatem esse subjectum peccati; et tamen solutione ad tertium id negat membris exterioribus, in quibus non subjectatur peccatum, quia non sunt principia actuum, sed organa, et moventur despotice sicut servus, non politice sicut appetitivæ interiores, quæ moventur a ratione ut liberæ. Sed constat quod extrinsece, et denominative etiam in membris exterioribus, et actibus sensibilibus datur peccatum; ergo in aliis datur formaliter, et intrinsece. Et ex hoc constat etiam quod secunda pars conclusionis est D. Thomæ, quia non ponit in omnibus exterioribus actibus æque intrinsece bonitatem, et malitiam, quia non in actibus externorum membrorum, sed in potentiis interioribus appetitivis, seu actibus earum ponit rationem peccati, seu in his potentiis, quæ moventur libere per intrinsecam libertatem, sive propriam, sive participatam.

X. Et ratio conclusionis est, quia tam actus interior voluntatis, quam exterior imperatus ab illa sunt capaces prohibitionis, et legis formaliter, et actualiter; ergo bonitatis, et malitiæ. Patet consequentia, quia lex est regula bonitatis, et malitiæ

in actu, et formaliter, si quidem moralitas actus formaliter consistit in regulatione passiva, et ordine ipsius actus ad legem ut regulantem; ergo actus qui sunt capaces actu, et formaliter subijci legi, actu et formaliter sunt capaces regulationis illius, ergo et moralitatis, quæ est bonitas vel malitia actus. Antecedens vero constat, quia lex prohibet, aut præcipit actus exteriores, et qui sunt imperabiles a voluntate ut non furari, colere diem festum, dare elemosynam, orare, jejunare. Et similiter præcipit actus internos ut non concupiscere rem, aut uxorem proximi, credere in Deum, sperare, diligere, pœnitere; ergo omnes isti actus tam interiores, quam exteriores proxime, et immediate, et formaliter sunt capaces regulationis legis, id est, prohibitionis, vel præcepti.

XI. Nec dici potest, quod actus externi sunt quidem conformes, vel disformes legi, sed non liberi per se, sed participative, ideoque non sunt intrinsece morales adæquate, et secundum omnia requisita, id est, saltem ex parte libertatis: contra enim est, quia lex non præcipit aut prohibet actus istos externos, nisi supponendo, quod sint imperati a voluntate, seu liberi, saltem participative, et denominative, actus enim non liberos non ordinat, nec præcipit lex; ergo si sunt actus dirigibiles a lege, habent omnia requisita ut morales actus sint, eo modo quo fuerint capaces moralitatis. Negari autem non potest, quod de facto, et formaliter sint actus præcepti, aut prohibiti a lege, quia non in potentia tantum sunt prohibiti, si quidem lex prohibens illos, non prohibet in potentia, sed de facto; et actu ergo neque illi sunt solum prohibiti in potentia, sed in actu et de facto. Nec solum fundamentaliter, aut objective, quia lex præcipit, aut prohi-

bet externum actum tamquam actum imperatum a voluntate, seu voluntarie factum, vel faciendum, ut non occidere, non furari, Deum colere, etc. ergo non præcipit, aut prohibet solum ut objectum, et materiam, sed ut voluntariam actionem; ergo, ut formaliter, et non solum objective, vel fundamentaliter bonam, aut malam. Quod vero sit solum extrinsece, et participative liberum, et voluntarium id quod in actu externo invenitur, non tollit quin formaliter, et de facto non objective, aut in potentia tantum inveniantur regulatio legis in illo actu. Sed hoc pertinet ad secundam partem conclusionis, quam jam explicamus.

XII. Secunda vero pars conclusionis, quod hæc bonitas, et malitia non sit æque intrinsece in omnibus actibus, tam internis, quam externis, deducitur ex his quæ supra disp. VIII et IX sæpe diximus, scilicet moralitatem esse aliquid intrinsecum in actibus internis elicitis, qui intrinsece participant libertatem, non in actibus sensitivis externis, qui solum denominative illam participant solum per hoc, quod a voluntate applicantur ad operandum, et ita potest idem actus externus, modo esse bonus, modo malus, ut comedere carnes licite fit ante præceptum, non postea, etiam si idem actus numero continuetur. Nec assentior dicentibus, quod actus externus materialiter, et participative est liber et moralis, intrinsece autem malus, vel bonus quoad conformitatem, vel difformitatem ad rationem, vel ad naturam rationalem. Non inquam, hoc stare potest, quia conformitas, vel difformitas ad rationem, et ad legem est respectus regulationis in actibus ad ipsam rationem, et legem ut regulantem: non regulantur autem, nec mensurantur ista regula, nisi actus ut voluntarii, seu

a voluntate procedentes, sive elicitive, sive imperative, quia solum est regulabile a mensura, et regula morali, id quod voluntarium et liberum est. Ergo illa actio, quæ solum extrinsece et denominative est voluntaria, et libera non potest intrinsece esse bona vel mala, id est, conformis, aut difformis regulæ. Patet consequentia, quia quod est intrinsece, et realiter tale non potest acquirere, vel perdere illud, sine mutatione intrinseca, potest autem sine tali mutatione amittere, quod denominativum et intrinsecum est, ergo poterit in tali casu contingere, quod actus ille ab extrinseco amittat libertatem, seu rationem voluntarii, ut si continuando eandem actionem externam non habeat quis advertentiam, vel amittat iudicium, tunc solum mutatur extrinsece, et tamen manebit bona, vel mala, quia hoc intrinsecum est, nec tollitur, aut ponitur sine intrinseca mutatione; cum tamen actus non liber, nec bonus, nec malus fit formaliter, quia non regulatur ratione, si quidem non procedit ex advertentia, et iudicio.

XIII. Et hoc ideo est, quia bonitas, vel malitia (et non loquor de imputabilitate, quam hæc sententia docet ex libertate provenire) non possunt intrinsece convenire actui, nisi per aliquem respectum transcendentalem, et intrinsecum ad objectum lege dispositum, et ordinatum; nam ad legem ut est in mente legislatoris, vel in promulgatione, aut memoria hominum, actus non fertur realiter, cum non sit lex prout ibi principium specificationis, et realitatis ejus. Objectum autem, quia est principium specificativum actus reali respectu attingitur ab actu, et mediante eodem respectu potest attingere legem, prout efficientem objectum, quia circa tale objectum est, et sic attingit realiter objectum

ut lege affectum, et ordinatum, quæ ordinatio licet in objecto nihil reale ponat, tamen bene potest realis actus intellectus, aut voluntatis attingere id quod reale non est, sed ens rationis, aut extrinseca denominatio reali respectu, dummodo objectum ejus sit, aut in objecto includatur, ipsumque afficiat.

XIV. At vero lex non afficit, nec denominat objectum sensibile externum prout est specificativum sensus externi, sed prout est voluntarium, sic enim cadit super illum regula rationis, redditque illum mensuratum; actus autem sensus externi non fertur reali respectu in objectum sensibile prout voluntarium, quia esse appetibile, nec est sensibile externum proprium, neque commune, neque aliquo modo pertinens ad spheram talis actus, sed mere materialiter ibi se habet; ergo neque attingit reali respectu tale objectum, ut regulabile a ratione, quia in tantum est regulabile in quantum voluntarium, seu ad voluntatem referibile. Visus enim solum respicit objectum suum reali respectu in quantum est coloratum, et circumstantiis sensibilibus communium vestitum; et potentia motiva solum respicit realiter motum sensibilem, et physicum quem facit. Quod vero ille motus sit volitus, vel illud coloratum appetibile, omnino extrinsecum est ipsi visui, nec reali respectu attingitur, quia esse volitum, vel volibile, vel regulabile non fundatur, nec accidit ipsi objecto ut sensibile externum est, sive proprium, sive commune, sed pure dependet ex applicatione extrinseca voluntatis ad utendum istis potentiis, nihil tamen ponit in objecto, ut objectum visus, vel sensus est, ut possit respici reali tendentia ab ipsa potentia sensitiva. Cæterum appetitus sensitivus internus, vel aliæ potentiæ appetentes, vel intellectus

dirigens voluntatem attingunt objectum taliter, quod in ipsa ratione objecti sui potest intervenire voluntarium, ut pertinens ad tale objectum: nam intellectus practicus respicit objectum, ut movens voluntatem, et sic ordinem habet ad voluntarium: appetitus sensitivus ex se respicit appetibile ut subordinatum, et inferius voluntati, et regulis ejus subjectum. Et ideo attingunt objectum sub ea formalitate, quæ fundat regulabilitatem ad rationem, et esse voluntarium.

XV. Secunda conclusio supra posita duas etiam continet partes. Prima est, quod in actibus supposita ratione voluntarii et liberi, bonitas vel malitia accipitur ab objecto, quod respectu interioris actus, seu imperantis est finis, respectu electionis, seu actus imperati est objectum immediatum cum circumstantiis. De hac parte non potest esse dubitatio, et asserta est a D. Thoma quæst. XVIII, art. II et V et VI, et in quæstione XIX, art. I et II, quæst. XX, art. etiam I et II, et alibi sæpissime, quia nihil frequentius ponitur in hoc opere, quam quod actus sumit bonitatem, vel malitiam ab objecto, et quod finis est objectum actus interioris, seu actus voluntatis ut voluntas, et ut intentio, et sic specificat ipsum etiam in esse morali. Actus vero imperati ab ista voluntate finis habent suum proprium objectum, a quo specificantur, finem vero, seu objectum actus interioris, qui etiam est finis operantis, pro circumstantia. Quæ omnia late a nobis declarata sunt supra disp. VIII et IX. Et ideo non oportet ea hic repetere, cum nihil potius quam quod objectum præbet bonitatem, et malitiam moralem quoad specificationem suam, et quod finis est objectum actus interioris, seu intentionis, quia in illum directe tendit, neque alterius actus, finis est